

1530 designasset, præstantissimorum civium præclaram, ac perhonorificam legationem, de qua diximus, ad Clementem, & Carolum miserat. Hæc Bononiam anni hujus initio ingressa cunctorum oculos ad se attraxerat; quippe qui Senatus Veneti majestatem in ore, ac vultu præcellentium civium intuerentur, secumque reputarent, quanta infracti animi constantia, quibus egregiæ fortitudinis exemplis patriam e summis ereptam periculis, incolumem servasset, ampliorique gloria illustrém reddidisset: habitus quoque priscam quandam Senatoriam dignitatem præseferibat; erant enim in lato clavo aureo ad talos usque demisso, ad humeros fibulis subnixo, augusta quadam gravitate spectabiles. Pontifex in frequenti Cardinalium, atque aliorum Sacerdotum consessu eos humaniter, ac perhonorifice excepit: triduo post Cæsar amplissima in aula, regali sede subnixus, principibusque viris circumseptus, multis benevolentia, atque honoris argumentis suscepit.

*Oratores
Veneti a
Pontifice
& Cæsare
excepti.*

*Laurentii
Bragadensis
oratio.*

Laurentio Bragadeno, cui sapientiæ studia cum eloquentia conjuncta magnam apud omnes virtutis, atque existimationis famam concitaverant, orandi partes, quod natu minor esset, obtigere. Is gravem, splendidam, omnique genere laudis refertam orationem seorsim ad Cæsarem, atque Pontificem habuit. Pontificem summis laudibus extulit, quod excelso spiritu perturbatæ, ac labantis Christianæ Reipublicæ causam suscepisset; afflictis, & prope perditis rebus opem tulisset; nil præclarius, nil sublimius ab eo, qui Christi Optimi Maximi vices in terris gereret, ad uberiores omnium commodum proficisci potuisse, quam ut aureo pacis vinculo discordes, ac dissidentes Principum mentes vinciret, & conciliaret. Tum Senatus nomine gratias ingentes egit, quod Reipublicæ de Christiana religione optime meritæ studiose favisset; quod illius ope assiduis bellorum curis, ac sollicitudinibus libera, præsentis tranquillitate, & pace frueretur, id illi in primis acceptum referre. Cæsari vero, ingenti Rempublicam lætitia affectam fuisse, significat: tempus illud, quod summopere concupiverat advenisse, quo propensum in illum studium arctiori foedere testaretur; quæ superioribus annis acta fuerint, necessitate temporum accidisse; illorum malignitate ad arma, ad bella descendisse; ægre tempestatum illarum casus Rempublicam tulisse: